

receptis legionibus adversum gentem Alamannorum  
haud procul a lacu Benaco dimicans tantam multitu-  
dinem fudit, ut aegre pars dimidia superfuerit. His 3  
diebus Victorinus regnum cepit. Claudius vero cum  
5 ex fatalibus libris, quos inspici praeceperat, cognovis-  
set sententiae in senatu dicendae primi morte reme-  
dium desiderari, Pomponio Basso, qui tunc erat, se  
offerente ipse vitam suam haud passus responsa fru-  
strari dono reipublicae dedit, praefatus neminem tanti  
10 ordinis primas habere, quam imperatorem. Ea res 4  
sicut erat cunctis grata, non divi vocabulum modo,  
sed ex auro statuam prope ipsum Iovis simulacrum  
atque in curia imaginem auream proceres sacravere.  
Huic successit frater eius Quintillus. Is paucis diebus 5  
15 imperium tenens interemptus est.

Aurelianus, genitus patre mediocri et, ut quidam 35  
ferunt, Aurelii clarissimi senatoris colono inter Daciam  
et Macedoniam, imperavit annis quinque, mensibus  
sex. Iste haud dissimilis fuit magno Alexandro seu 2  
20 Caesari dictatori. Nam Romanum orbem triennio ab  
invasoribus receptavit, cum Alexander annis tredecim  
per victorias ingentes ad Indiam pervenerit et Gaius  
Caesar decennio subegerit Gallos, adversum cives qua-  
driennio congressus. Iste in Italia tribus proeliis  
25 victor fuit, apud Placentiam, iuxta amnem Metaurum  
ac fanum Fortunae, postremo Ticinensibus campis.  
Huius tempore apud Dalmatas Septimius imperator 3  
effectus mox a suis obtruncatur. Hoc tempore in urbe 4  
Roma monetarii rebellarunt, quos Aurelianus victos